



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Dei in promissis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

TITULUS V. FIDELITAS.

DEI in promissis.

Sed & clavos fecit aurios. 2. Paral. 3. 9. Et 3. Reg. 6. 21. & affixit laminas clavis aureis. V. Beda l. de templo c. 12. clavi aurei, quibus erant affixæ laminæ, ipsa sunt promissâ æternæ claritatis; per quæ in exercitio, studioque virtutis, nè deficiamus, donante Christi gratiâ continemur.

Semel loquitur DEUS, & secundò idipsum non repetit. Job. 33. 14. Quomodo verum est, quòd Semel loquatur DEUS; cùm sæpius verba fecerit, tum per seipsum, tum Prophetas? S. Hieronymus hic: quod ait semel, non ad numerum referendum est, sed ad sententiæ firmitatem. Quia DEUS promissâ ita semper exequitur, ut iterum promittere non sit opus. Pinna in Eccl. Ethol. 261.

Audi filia, & vide. Pf. 44. 11. Audi prædicta; vide completa. S. August. s. 31. de Verb. Dom. q. d. tanta est certitudo promissorum Dei; ut dictum, & factum, simul videatur. Pinna in 4. Eccl. Ethol. 59.

Transferunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Pf. 104. 13. Loquitur hic de Abraham, Isaac, & Jacob. Nondum in terra Chanaan regnabant; quomodo ergo de regno transferunt ad populum alterum? quia illis promissum. S. Chrysof. hom. 46. in Gen. neque ita fidere debemus his, quæ in manibus habemus, & videmus, ut promissionibus DEI; etiamsi non eveniant statim primò tempore. Bæzat. 2. l. 9. c. 3. §. 13.

Hæreditate acquisitos testimonia tua. Pf. 118. 111. id est, verba DEI. Quis amicorum verborum hæredem scribit? quid enim profunt hæredi sola verba? Cur ergo David gloria-

tur, se hæredem verborum? sunt verba DEI; quæ tanti valent, quanti res ipsæ, quas verba notant. Id. ibid.

Principium verborum tuorum veritas. Pf. 118. 160. Homines plerumque promissis non stant: quia verba non proferunt eâ intentione, ut opere impleantur. Secus in DEO; apud quem promissio originem ducit ex veritate, & animò ea implendi. Pinna in c. 4. Eccl. Ethol. 59.

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Pf. 144. 13. Hæc vox sanctus, non solum rem sacram & religiosam; sed etiam firmam, stabilem, significat. Didacus Niss. f. 2. post Refurr.

Visio Isarae. II. 1. 1. Cur ea, quæ DEUS in aurem loquitur Prophetis, visio sapewocatur? quia certa fides, & promissorum veritas DEI; acsi oculis jam videres præsentia. Pinna in c. 4. Eccl. Ethol. 59.

Die verbò, & sanabitur puer meus. Matth. 8. 8. Pollicentem videam, & optata consequar. S. Basilus Seleuc. orat. 19.

Acceptit eum in ulnas suas. Luc. 2. 28. Plus accepit, quàm ei fuit promissum, Christum videre. Et jam non solum vidit; sed brachiis strinxit, portavit, & contrectavit; imò & osculatus, dulcissimum infantem. Dionysius Cathol. hic.

Promissiones DEI multò certiores sunt, quàm quæ in nostris sunt manibus. S. Chrysof. de Nomine Abram.

Nonne homo homini exigua chartulæ obligatione confringitur? DEUS tot, & tantis, voluminibus caret; & debitor non tenetur. S. Chrysológus f. 25.

TITULUS VI. FIDES.

§. I.

Figure, Symbola.

Ex Veteri.

Dixit DEUS fiat lux. Gen. 1. 3. Tunc autem in hominẽ dicitur, ut lux fiat; cùm datur, ut illuminatio sibi credulitatis infulgeat. Prima quippe mentis lux, fides est. Unde jam Fidelibus dicit Apostolus Eph. 5. 8. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Tunc ergo in hominẽ primus dies fit; cùm novus ad fidem venit. B. Petrus Dam. l. 2. ep. 5. *Dixit DEUS fiat lux:* id est, illuminatio credulitatis apparebat. S. Isidorus hic. 2. Cor. 4. 6. DEUS, qui dixit, de tenebris lumen splendescere ipse illuxit in cordibus nostris, scilicet per fidem. Sit fides nobis quasi

dies primus, quò Fideles ab Infidelibus, quasi lux à tenebris, separamur. Ælredus Abb. Per firmamentum intelligitur visio fidei: fides enim reddit sublimem animam intellectivam; quia transcendit omnem rationem, & investigationem, rationis. S. Bonaventura f. 8. de sublimitate fidei, reddit stabilem; quia excludit dubitationem: reddit spectabilem; quia multiformem ostendit claritatem. Id. ib.

Et facta est lux. Gen. 1. 3. Fides est facta lux primò creata: nam sicut illa primum opus in majori Mundo; hoc est, in corde humano. S. Bonaventura diat. fal. c. 26. de fide.

Per noctem in columna ignis. Ex. 13. 21. Fides, est viva, fida, & salutaris, columna; deducens per desertum hujus Mundi. S. Laurentius Just. lib. virt. fidei c. 5.